AVSPICATISSIMVM

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI

DOMINI
FRIDERICI II.

BORVSSIAE REGIS
MARCHIONIS BRANDENBVRGICI
S. R. I. ARCHICAMERARII AC PRINCIPIS ELECTORIS
SVPREMI SILESIAE DVCIS
&c. &c. &c.

PATRIS PATRIAE INDVLGENTISSIMI
AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

NATALEM

QVI XXIV IAN. FELICI SIDERE ILLVXIT
CRASTINA LVCE
IN ACROATERIO ATHENAEI MAXIMO
PANEGYRICA SOLEMNITATE CELEBRABIT
GYMNASIVM ELBINGENSE
CVI FESTIVITATI
VT BENEVOLE INTERESSE VELINT
ILLVSTRES ET SAGO ET TOGA INCLVTI
MAECENATES
VT ET
MAGNIFICVS ET AMPLISSIMVS
CIVITATIS REGIAE MAGISTRATVS
OMNESQVE LITTERARVM FAVTORES AC CIVES
SVMMA QVA PAR EST VENERATIONE ET HVMANITATE
ROGAT INVITAT

IOANNES LANGIVS

GYMN. RECTOR PROF. THEOL. PVBL. ET BIBL.
NEC NON
REGIAE SCIENTIARVM AC ARTIVM SOCIETATIS QVAE FRANCOFVRTI
AD VIADRVM FLORET MEMBRVM HONORARIVM.

ELBINGAE STANNO NOHRMANNIANO.

Splendidiſſimo Patris Patriae nomine, quo Principes terrarumque Dominatores ornantur maximi, nihil glorioſius, dignius eſſe nihil, vel ipſa ſana dictitat ratio & quotidiana loquitur experientia. Spirat enim in eo omnis, quae modo cogitari poteſt, gratia, omnis benignitas, encomium omne, eoque ſuauius dulciusque ſpirat, quo plura in eodem dignitatis & meritorum cumulantur indicia. Quodſi enim pater familias tantam ſui commendationem ex vtilitate captat, vt etiam domus ſuae caput & fulcrum audiat: quantum ſplendoris, quantumque eminentiae in auguſto Patris Patriae nomine lateat, facile dijudicatu eſt. Hic quippe commoda publica terrarumque felicitatem ſupremam habens legem, omnes intendit animae vires, vt natura patris induta, patriae ciuiumque ſalus comparetur, multisque modis aucta in dies creſcat & conſeruetur: bonum

enim Principem a bono patre nihil differre, extra omnem dubitationis aleam positum est. Dignus itaque ejusmodi terrarum Dominus cum a Deo, rerum humanarum moderatore, tum ab hominibus, a cultu & humanitate non remotis, semper judicatus fuit, cui maximus reuerentiae ac pietatis haberetur cultus, & pereximia honoris ergo imponerentur nomina, quae inter blandum illud Patris Patriae vel primum occupat locum.

Legimus quidem in germanica bibliorum versione, Gen. XLI, 43. Pharaonem, Aegyptiorum Regem, quoties Josephus in publicum prodiret, praeconis voce populo indicari jussisse: hic est Patriae Pater! ast placet aliis τὸ אַבְרֵךְ, quod loco citato legitur, potius interpretari per: flecte genu; quasi praeco clamauerit & praeceperit, vt nemo non coram Josepho, obuiam venienti, genu flecteret. Verisimilius ergo est, hanc Patris Patriae denominationem originem suam a Romanis traxisse. Teste enim Plutarcho jam Romuli tempore principes vrbis Patres vocabantur, quorum cum numerus ciuitate crescente postea augeretur, illis Patrum Conscriptorum nomen impositum est, vsque dum ob egregium in ciues affectum & intensissimum erga patriam amorem, Patris Patriae denominatio in vsum venit.

Primus ergo, qui ob ingentia in Romanorum rempublicam merita ex Senatus consulto insigni hoc adfectus est nomine, fuit Cicero, ille eloquentiae romanae facile princeps. Plinius enim junior eum propter disjectam

Cati-

Catilinae conjurationem ita adloquitur: Salue, primus omnium Parens Patriae appellate. Qua de re ipſe Cicero in Piſone: me, inquit, Q. Catullus, princeps hujus ordinis & auctor publici conſilii, frequentiſſimo Senatu Parentem Patriae nominauit.

Sed tantus ſplendor, tanta appellationi iſti inerat commendatio, vt etiam ad Imperatores poſtea & populi romani Principes tranſiret, eisque ſemper in deliciis eſſet atque deſideriis. Liuius enim auctor eſt, Caeſarem, quintum ex Hiſpania triumphum agentem, ſecundum a Cicerone hanc Patris Patriae appellationem vnanimi Senatus romani judicio conſecutum, eaque non ſine maleuolorum inuidia vſum eſſe. Hoſtibus enim ipſius inſigne hoc cognomen, Caeſaris honores adaugens, adeo diſplicuit, vt illi quoque inſidias mortemque machinarentur, nec prius acquieſcerent, usque dum de medio eum ſuſtuliſſent. Quo tandem occiſo euenit, vt percuſſores ejus ex Parentis Patriae appellatione, parricidarum ac parricidae nominibus ortum uſumque pararent.

Nec qui Caeſarem in imperio ſecutus eſt, Octauium ſicco praeterire licet pede. Hic enim ob egregias multarum regionum expugnationes, quibus imperium romanum mirum quantum adauxit, non modo Auguſtus a populo ſalutatus eſt, quaſi ipſum vrbis conditorem ſuperaſſet, ſed Senatus quoque eum Patriae Patrem vocauit, non amplius nouo, ſed ampliore nomine. Ouidio hinc, cum in praedicandis Imperatoris hujus

laudibus occupatus esset, nullum praestantius, augustius nullum videbatur, quam illud Patris Patriae nomen. Sic enim in fastis suis, Augustum cum Joue comparaturus, quam egregie canit:

Sancte Pater Patriae, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen, eques.
Hoc tu per terras, quod in aethere Jupiter alto,
Nomen habes: hominum tu pater, ille deum.

Jam facile intellectu est, cur Trajanus, Imperator Romanorum gloriosissimus, quanquam suis in rempublicam meritis nouos honores, nouos titulos merebatur, illud tamen Patris Patriae nomen non primo statim principatus die receperit, sed illud potius summa cum modestia recusauerit. Erat quippe, vt Plinius noster fatetur, longe Magistratui populoque romano ea de re cum Imperatoris continentia & magnanimitate pugna, nec pri[illegible] victus nomen illud accepit, donec ipse, se cum ciuibu[illegible] suis quasi cum liberis parentem viuere, agnosceret, illudque se mereri fateretur. Cur enim frumenti ac annonae augendae tantam gessit curam, vt inde per totam Italiam, alimenta olim ex Aegypto deducentem, satietas, nec fames vsquam? Cur populo, egestate quondam laboranti, congiarium donauit, idque totum, du[illegible] donatiui saltem pars aliis dabatur? Cur juuent[illegible]s quoque educandae, tanquam ciuium futurorum, in exhibendis beneficiis rationem habuit, nisi vt de paterno

amoris

amoris affectu, quo Princeps flagrabat, Romanos conuinceret? Inde infantum quoque & paruulorum animis tanta inerat cupido, tanta auiditas, vt omni nisu noscere cuperent Patrem Patriae, Patrem suum.

Sed non est, cur plures e longinquo repetam Principes, splendido Patris Patriae nomine quondam fulgentes, eosque posteritati commendatos laudibus eueham. Instar omnium SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS FRIDERICVS II. Rex Borussorum INVICTVS, Dominus noster Clementissimus, oculis se sistit nostris, quo nec meliorem, nec majorem mundus vidit vnquam, videbitque Patriae Patrem. Quo enim plura, diuina gratia sic volente, regio Illius sceptro subjecta sunt regna, & quo plures paterna Ejus cura maximis beneficiis aluntur, reguntur, conseruantur: eo majori jure splendidissimum illud ad Eum transit nomen, semperque agnoscitur, ut Ei proprium.

Hactenus saltem Borussia regia paternum FRIDERICI GLORIOSISSIMI affectum experta est: jam vero & maxima, quae occidentem spectat, Pruteniae pars, non multo armorum strepitu, non larga sanguinis humani profusione, sed in pace quasi oblata, FRIDERICVM, vti tot prouinciarum, ita & suum veneratur Patrem Munificentissimum, Regemque longe Clementissimum.

Omnibus itaque regiae Prussiae incolis in augusto natalium Regis sui die vota nuncupantibus, fas & aequum

quum eſt, vt & Muſa Elbingenſis in ſocietatem communis gaudii ac publicae laetitiae deſcendat, deque Patriae Patre Conſummatiſſimo ſibi gratuletur & glorietur. Cui negotio ac pietatis officio vt fiat ſatis, craſtina luce non modo Rector Gymnaſii in oratione panegyrica *de felicitate regni, cujus Princeps Pater Patriae eſt*, verba faciet, ſed ſcholaſtica quoque juuentus pro ea, quae in illa eſt, dicendi facultate *de amore in patriam* actum inſtituet oratorium, pro Regis ſalute votis vota, & ſupplicationibus ſuas additura ſupplicationes.

Ad quae feſtiuitatis ſolemnia Illuſtres & ſago & toga Inclutos MAECENATES, vt & Magnificum ac Ampliſſimum CIVITATIS MAGISTRATVM, nec non reliquos Muſarum Fautores & Amatores Colendiſſimos omni, qua par eſt, pietate & obſequio enixe inuitamus, vt dicturis fauentes adeſſe, & Illius, Cui omnes ſubjecti & deuincti ſumus, ſalutem vitamque Deo commendantes, votis certantibus ſuam erga FRIDERICVM, REGEM CLEMENTISSIMVM, reuerentiam & ſubjectionem nobiscum publice exhibere haud dedignentur. Publ. Elbingae. D. XXVII. Jan. MDCCLXXIII.